

1329 octubre 21. València

*Alfons III als jurats de la ciutat de Girona. Els respon que no permetin que l'abat de Sant Feliu de Guíxols usurpi la jurisdicció d'aquest lloc, ja que seria perjudicial per a la ciutat. Mana alhora al veguer de Girona que faci ús d'aquella jurisdicció tal com ho han fet els seus predecessors.*

- A. Original: AHCG, Lletres Reials. 155 × 285 mm. Estat de conservació regular a causa de la mutilació del paper del marge inferior. Restituïm les lletres afectades segons la còpia inserida al *Llibre Verd*. 1: a) *Registrata*. b) *Fidelibus suis iuratis civitatis Gerunde*. **Segell comú:** 90 mm aprox. **Lletra closa.** 2: a) *Quod dominus rex respondit se non fecisse donacionem abbati Sancti Felicis Guixollensis de iurisdictione Sancti Felicis nec intendit aliquid facere in preiudicium civitatis* b) *Es continuada en lo libre verd en cartes CC L VII.*
- B. Còpia del segle XIV: AHCG, *Llibre Verd*, f. 285v-286r.
- a. C. GUILLERÉ, *Llibre Verd...*, doc. 83, ex B.

Alfonsus, Dei gratia rex Aragonum, Valencie, Sardinie et Corsice ac comes Barchinone, ffidelibus suis iuratis civitatis Gerunde, salutem et gratiam.

Recepimus litteram vestram nobis noviter destinatam, conti-nentem inter cetera vos intellexisse quod religiosus abbas monasterii Sancti Ffelicis Guixollensis, propriis anelans comodis et communi utilitate posposita, nititur et procurat obtinere a nobis, per modum alienacionis, concessionis, confirmacionis vel alias, iurisdictionem loci Sancti Felicis Guixolensis,<sup>a</sup> quam iurisdictionem et exercicium eiusdem nobis et curie nostre Gerunde procul dubio pertinere noscuntur. Unde, auditis plenius predictis et aliis que in dicta vestra littera continebantur, respondemus vobis nostre memorie esse penitus alienum quod de alienacione, concessione, permutacione vel alias iurisdictionis dicti loci Sancti Ffelicis tractatum, tactum seu factum ad presens nobis fuerit per abbatem predictum nec cordi nobis est talem alienacionem, concessionem vel transportacionem inire, tractare vel facere de iuris-diccione predicta nec aliquid agere in preiudicium vel dampnum dicte civitatis nec diminucionem ac derogacionem privilegiorum et liberta-tum civitatis ipsius. Immo vestigia progenitorum nostrorum sequi volentes predicta inconcusse servare benigne, prout actenus iidem nostri progenitores plenius et melius conservarunt. Et quamquam teneamus e firmo vicarium nostrum dicte civitatis iurisdictione pre-dicta plene uti in dicto loco, prout precessores sui usi fuerunt ibidem, tamen ex superabundanti, per litteram nostram quam affert lator presencium, mandamus dicto vicario quod utatur in dicto loco Sancti Ffelicis iurisdictione predicta prout actenus ipse sollertius et plenius et alii vicarii precessores sui ad conservacionem iuris regii usi fuerunt et uti debuerunt, nec dictam iurisdictionem vel alia regalia nostra permittat inibi per aliquem [usur]pari.

Data Valencie, XII<sup>o</sup> kalendas novembris, anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo nono. Examinavit Rodericus.\*

- a. Sobre la jurisdicció de Sant Feliu de Guíxols, vegeu també les lletres números 35, 38, 40 i 112.